DE LAUDIBUS DIUINÆ SAPIENTIÆ ORATIO HABITA A' MAGISTRO PROSPERO...

Prospero Rosetti



DE LAVDIBVS DIVINAE SAPIENTIAE ORATIO

HABITA A MAGISTRO Prospero Rossetto Seruita in Pisano Gymnasio Metaphysices & Sacra Scriptura professore.

AD COSMVM CONCINIVM EX Nobilibus Tallæ, ex Comitibus Pennæ.



FLORENTIAE,

Ex Officina Georgij Marescotti. M D LXXXIX.





COSMO CONCINIO EX NOBILIBVS TALLAE EX COMITIBVS PENNAE.

Frater Prosper Rossettus. S. D.





RATIONEM (Nobilissime Iuuenis) quam hoc primo meorum laborum Anno in Pisano Gymnasio de sacrosanctæ doctrinæ laudibus habui, tui Genitoris amplitudini, cui tantum debeo, quantum me nunquam persoluturum certo scio, consecrandã statueram: at animaduertens, si ad amplissimum Senatorem, Magnorum Etruriæ Ducum Magnum Cancellarium tale quippiam misissem me

obtrectatorum calumniam non facilè euitaturum esse, quòd viri clarissimi aures nugis obtundere sim ausus; tibi Cosme Concini eam dicandam, & cum tui nominis inscriptione diuulgãdam censui: non quòd illum magnificentissimo, te verò tenui munere donandum existimem, nam tu quoquè tanti Patris Filius, is es, quem omnes comitate, mansuetudine & vario literarum genere florentem. maximo etiam honore dignum iudicent; sed quòd nulli sanè alij inculta hac Oratio, nisi Cosmo ut pulchrè exornetur, & incompta nisi Concinio, ut aptè concinnetur iure debebatur. Tu igitur ea qua soles benignitate, hoc propensa mea in nobilissimam familiam tuam volũtatis signum suscipias & me amare pergas. Ego verò admaiora tuo Genitore semper de me benemerito forsan non indigna, indies contendam.

Vale Florentiæ xv. Kalend. Octobris 1589.



DE



DE LAVDIBVS DIVINAE SAPIENTIAE ORATIO

HABITA A MAGISTRO Prospero Rossetto Seruita in Pisano Gymnasio Metaphysices & Sacræ Scripturæ professore.





OELESTEM, ac diuinam sapientiam, in celeberrimo antiquissimæ Ciuitatis Gymnasio, in tanta lectissimorum hominum frequētia, hodierno die celebraturus, eamque ex Serenissimi Ferdinādi Medices Cardinalis Etruriæ magni Ducis imperio, hoc primùm anno interpetraturus, non possum equidem animo vehementer non commoueri, & toto corpore non perhorrescere, ea enim est audientium dignitas, ea loci amplitudo, ea sacræ doctrinæ maiestas, vt & ad dignitatem nihil illus-

trius, & ad amplitudinem nihil magnificentius, & ad maiestatem nihil sublimius esse posit, & quę me Hercule, tàm admirabilis doctrinę copia, quę tàm singularis ingenij præstãtia, quæ denuum tàm pręclara dicendi facultas, aut grauitas esse potest, quæ & sacrę Theologiæ excellentiam æquare, & celebris Academiæ nobilitatē sustinere, & literatorum hominum hic adstatium iudicio respondere valeat? Quòd si aut doctrina quæ in me nulla est confisus, aut ingenij viribus, quo minus ē quàm medioeri pręditus sũ, innixus, aut vlla propriæ gloriæ cupiditate illectus hùc accessisse͂, & materiæ excellentia, & Gymnasij nobilitate, & acri auditorũ iudicio terrefactus, in hac lectionum mearum prolusione planè deficerem, & meæ indignitatis conscius obmutescerem: verum quoniam ex mera FERDINANDI Serenissimi auctoritate (cui nõ semper obtemperare nefas est) hanc arduam suscepi prouinciam, aliquantulum recreor, & confirmor, cùm præsertim in hac mea Iuuentute nihil mihi, vel ad voluptatem iucundius, vel ad gloriam illustrius accidere potuisse existimem, quàm vt ornatissimum hunc in locum ascenderem, vestrumq; in conspectum mihi semper optatissimum prodirem, vt sicut publicę Academiæ subsellia, discendi desiderio inflãmatus, Patauij iam frequentarã, ita cathedrã docendi caussa Pisis nunc ascenderem Quod hodierno primùm die singulari Principis nostri beneficio, & vnanima sapientissimorum huius Gymnasij moderatorum approbatione, consequutus, equidem tãta animi lætitia afficior, vt sine dubio fatendum sit, nullum hucvsq, pulchriorem, iucundioremq; die͂ mihi illuxisse. Quamobrem, Auditores nobilissimi partim timore perterritus, partim voluptate affectus Deum op. Max. Deiparam Virg. & Diuos omnes huius Ciuitatis tutelares oro, atque obsecro, vt in primo huius meæ professionis tãquã vestibulo, quo de egregijs immo verò diuinis sacrosanctæ doctrinę laudibus cùm ab illius origine, tùm ab effectu, tùm demũ à fine desumptis breui oratione hodie sum dicturus, hoc nobilissimo consessu, hoc celeberrimo Gymnasio, & hac diuina sapiẽtia digna mihi contingat oratio, vt illius dignitate perspecta, & qui eam hactenus non amarunt desiderio ipsius incendantur, & qui eius amore flagrant multò vehementius inflammentur. Si igitur ab initio sacræ Theologiæ originem consideremus ac perpendamus, quis eam & antiquissimam, & nobilissimam esse nõ ingenuè

fatea-

fatetur? quandoquidem non à Roma condita, non a Troiæ excidio, non à Græcarum Olympiadum temporibus, non ab vniuersa totius terrarum orbis inundatione, sed à prima ipsius Adæ ætate, & ab ipso mundi exordio, non à terrenis hominibus, aut Græcis, aut Chaldæis aut Aegyptiis, aut Hebræis, sed ab ipsomet Deo Op. Max. diuinam emanasse sapientiam non dicam, Orphei carmina, aut Apollinis oracula, sed Sybillarum monimenta, Mercurij Trismegisti arcana, & sacrorum vatum effata incognita dilucidè, planèque demonstrant. Quod sanè Dionysius ille magnus Diui Pauli Apostoli discipulus, in libro quem de cœlesti Hierarchia inscripsit, clarissimè comprobauit dicens Candidissimus illius lucis radius, quæ a patre luminum initium sumit, benigna in nos largitione, vt summa virtus rursus manans, mentes illustrat, atque ad patris vnitatem, ac Deificam simplicitatem conuertit. Et quis profectò (viri ornatissimi) vitæ beatæ ita est ignarus, qui non dicam non acceperit à maioribus, non audiuerit ab æqualibus, sed ipse mentis suæ perspicacitate nō cognouerit sacram Theologiam à Deo immortali originem traxisse, & ceú alteram Mineruam ex Iouis cerebro, ex ore altissimi prodijsse, cæteras autem humanas scientias à mortalibus hominibus inuentas esse? Quis diuinarum rerum est adeò inscius qui non legerit, vel saltem non audierit, Deum immortalem, qui summa certitudo est, summaque veritas, qui nec falli, nec fallere vnquàm potest, hanc altissimam scientiam maioribus nostris largitum fuisse, illas autem à prudentibus quidem viris, sed mortalibus, & caducis nobis esse delatas? Etenim Hebræorum doctrina multis ante annorum sæculis viguit, quàm gentium disciplina, cum primus omnium post Adam sapientissimus fuerit Noe, qui futuram inundationem prædixit, arcam ædificauit, hominum, & Iumentorum semen conseruauit; Armænos, Scythas, & Italos naturæ arcana sacros ritus, ac diuinam sapientiā docuit, quem postea Abraham sanctitate, & sapientia omnium præstantissimus subsequutus, Chaldæos primùm, deinde Phænices, & tandem Aegyptiorum sacerdotes, Syderum cœlestiumque globorum motus, & diuinā sapientiam docuit, ritus meliores instituit, & Deum unum, & trinum primus agnouit; quæ omnia Isaac filio suo, & hic ipsi Iacob, & iste Florentissimæ suæ Familiæ, & amplissimæ, quasi hæreditario quodam iure reliquit, ex qua præ

cæteris omnibus eruditissimus Moses editus est, in quem vnum veluti omnes Fluuiorum aquæ in Oceanum omnes antiquorum patrum scientiæ confluxere, & a quo deinde velati ab Oceano in fontes, in cæteros omnes emanarunt, ita vt nulla gens de sapientiæ suæ antiquitate præ patriarchis, & prophetis nostris vlla se iniqua vanitate iactare posit; quādoquidem nec ipsamet Aegyptus, quæ de suarum doctrinarum vetustate falsò gloriari solet, suis sciētijs patrum nostrorum sapientiam antecesit. Celebrent igitur, quantum velint, suos Aegyptij sacerdotes, Druydas Celtæ, Bragmanas Aethiopes, Indi Gymnosophistas, Persæ Magos, hoc est sapientes. Iactet Græcia suos Orpheum, Musæum, Linum, Amphionem, Mercurium trismegistum, & septem illos apud omnes celebres viros, ad quos ceu ad totius Græciæ sapientissimos, aurea mēsa Apollinis oraculo, delata fuit. Extollat gentium antiquitas Sophos, Sophistas, & philosophos, Thaletem Milesium, qui naturalis præcepta philosophiæ, omnium primus tradidisse fertur, Anaximandrum, Anaximenem, Anaxagoram, Crothoniatē, Pythagoram, Zenophanem, Parmenidem, Empedoclem, Prothagorā, Democritum, Heraclitum, Epicurum, Socratem, Platonem, Aristotelem. Prædicent gentes, & vsque ad sydera efferant varias philosophorum familias, easque præsertim omnium celeberrimas, quæ a locis, in quibus versatæ sunt, nomina acceperunt, ut Ionica quæ à Thalete originem traxit, vt Italica quæ fluxit à Pythagora ut demum Eleatica, quæ à Zenophane initium sumpsit. Nullus profectò gentium philosophus, Hebræos præiuit, cum philosophi nomen à pythagora S[illegible]mio fuerit inuentum, qui eo tempore quo Iudæorum soluta est captiuitas, florere cœpit, quod Clemētis Alexandrini, Basilij, Magni, D. Augustini, Eusebij Cæsariensis, & Aristoboli testimonio comprobatur, quippe qui priscas Græcorū, Bragmanum, Indorum, Chaldæorum, & Aegyptiorum gentes, si qua habuerunt egregia dogmata, & mysteria, ea omnia à Iudæis accepisse, & fabularum inuolucris implicuisse asseruerunt. Taceo nunc Megasthenem, qui in tertio rerum Iudaicarum libro, non solum Aristotelem, & Platonem, sed & Pythagoram, & Socratem, & Hesiodum, & Homerum, immo uero & Orpheum, & Musæū, & Mercurium Trismegistum Hebraicæ sapientiæ discipulos fuisse declarat. At illud equidem silentio non prætereo, quòd primum

nium sacrarum literarum scriptorem Mosen, quinque sæculis Homerum antecessisse reperimus; cuius poemate nullum extare apud Græcos vetustius doctrinæ monumentum, ex authoritate Iosephi, confirmatur. Verum sicuti in his, quæ natura constant, quotidie duce experientia discimus, habere suum res quasquè, & ortum, & incrementum, & statum; ita hæc sacrosancta doctrina primo illo legis naturę tempore, à Deo Optimo Maximo per sanctissimos Patriarchas ortum habuit, tempore vero Mosis, quo legem in tabulis lapideis conscriptam per ipsum a Deo receptā fuisse legimus, incrementum sumpsit; & demum tempore gratiæ, quo Christus Vnigenitus Dei Filius, ac summi patris verbum, institutor, & magister nobis est traditus, statum integrum, atquè perfectum obtinuit. Quare Auditores, si à Deo optimo Maximo sacra hæc sapientia originem trahit, & quæ scientia ipsa nobilior commendatur? si ab ipso mundi exordio, per patriarchas sanctos, hæc diuina scientia nobis tradita fuit, & quæ disciplina ipsa antiquior celebratur? O nobilissimam, & antiquissimam sacrosanctæ doctrinæ originem. Tu diuinum inuentum, Tu donum, ac munus omnium maximum atquè optimum, omni luce, omni splendore, omni pulchritudinis maiestate decoratum. Si deinde cœlestis huius sapientiæ dignitatem ex rerum de quibus tractat, atquè effectus præstantia considerare voluerimus, quis tàm mente captus, & humanitatis est expers, quem fugiat, nihil esse præstantius, quàm id, quod a diuina doctrina præstatur? Cæterę nanque scientiæ, res creatas sibi contemplandas proponentes, aut in naturalium corporum consideratione versantur, aut in quantitatis tractatione operā ponunt, aut in rerum à materia secretarum explicatione elaborant, sola hæc sacra scientia à Deo optimo Maximo, quo nihil maius, meliusve excogitari potest, ne medium quidem vnguem discedit, sed ineffabilem illius naturam, & creaturas omnes profundissimā qualitate contemplatur; Neminem sanè vestrum (Eruditissimi Viri) hic adesse existimo, quem triplex philosophiæ genus, Moralis scilicet, Naturalis, & Diuinæ a Græcis sapientibus cognitum fuisse lateat; Verum à Salomone propheta, & Rege sapientissimo, qui diuino afflante Spiritu, disciplinarum ordinem, & diuisionem primus excogitauit, huiusmodi inuenta didicerunt,

uerunt, quippè qui in tribus identidem voluminibus, nimirũ prouerbijs, Ecclesiaste, & Canticis canticorum, has omnes philosophiæ partes mirificè pertractauit: mores vtiq; in prouerbiorum preceptis docens, rerum naturam in Ecclesiaste explicans, & diuina mysteria in canticis canticorum aperiens; Neque enim rationalem philosophiam (vti Logica facultas est) distinctam ab his portionem censuit, quippè quæ in vnaquaque disciplina, per seipsam conseritur, & per eam varias morum rationes edocemur, per eam naturæ vim perscrutamur, per eam denique ipsam diuinarum rerum imaginem intelligimus: His profectò, similia esse videntur, quæ de Deo Abraham, Deo Isaac, & Deo Iacob in sactis habentur literis; Nam quòd Abraham vbiquè locorum morigerum, & Deo obedientem se præbuerit, moralem philosophiam innuit, Isaac verò dum scientiæ puteos fodit, & profundaquæque rimatur, naturalem scientiam indicat, Iacob tandem, tum ex ipso nomine, quòd Isdrael ob diuinorum cõtemplationem mysteriorum appellatus fuit, tum ob inspectas Angelorum scalas à terris ad cœlum vsquè erectas diuinam sapientiam præmonstrat. Sedat quidem moralis philosophia multiplices bruti effrænes excursiones, & Leonis iurgia, irasque contendit: sedat naturalis philosophia opinionis dissidia, quæ inquietum hinc inde animum vexant, sed ita sedat vt meminisse nos iubeat naturam, iuxta Heraclitum, ex bello genitam esse, & ob id ab Homero contentionem vocatam fuisse, quare in illam verè quietam, & solidam pacem, quam mundus, & natura nobis dare non possunt, sola diuina philosophia, & blandè nos vocat, & benignè nos allicit, vt alatis pedibus, quasi terrestres Mercurij, in beatissimæ Matris amplexum euolantes, optatissima pace fruamur. Qui igitur adhuc polluti, morali scientia indigent, cum plebe extrà tabernaculum sub diò habitent, interim se expiantes; Qui verò mores iam composuerint, in Sanctuarium recepti, sacra tractare incipiant, & modò cœleste Candelabrum septem planetarum luminibus distinctum, modò pellicea elementa in philosophiæ naturalis sacerdotio contemplentur, vt postremò per altissimam Theologiæ sapiẽtiam in templi adyta, hoc est in Sancta Sanctorum introducti, nullo imaginis velo impediente, diuina gloria perfruantur. O præ-

claram,

claram, & singularem, ò Cœlestem, & diuinam doctrinam, nunquàm satis laudibus celebratam. Ferte me vera dicentem Auditores, ferte me ab omni adulatione remotissimum, celebres quidem sunt, & summis efferendæ laudibus humanæ scientiæ, quas plurimum vtilitatis, & ornamenti hominibus afferre concedimus. Verum quis adeò insulsus est, vt harum scientiarum fructus, & splendores cum sacrę doctrinæ effectibus & ornamentis comparandos esse existimet? cùm illæ nos doceant creaturas, hæc vero creatorem, cùm ex illis morales virtutes, ex hac autem in fidei, spei, & charitatis exercitationibus versari discamus, cùm illis tandem hominibus solum resistamus, hoc verò & Demonem impugnemus. Quid ergò ad hominum salutem hac sacra doctrina vtilius? quid ad vitę compositionem ornatius, quàm rectè cognoscere quid effugiendum, expetendumve sit homini virtutis amantissimo? quid melius dici, aut excogitari potest, quàm ad similitudinem Dei in terris esse viros præstantissimos? Per hanc diuinam sapientiam (Nobilissimi Auditores) has omnes animi virtutes acquirimus, per hanc solam benè, beateque viuimus, hac duce otio eoque tranquillo fruimur; hęc vitę nostrę dux, & Asylum, salutis nostrę conseruatrix, virtutis indagatrix, & vitiorum expultrix; Hæc tandem nobis potest memoriam nominis sempiternam comparare, ad Immortalitatem perducere, Deique simillimos reddere: O' admirandus diuinę sapientię splendor, O' pulcherrimum rerum omnium decus, O' vera nostra anima, aurei sęculi mater, & Regina. Iàm verò si diuinam sapientiam origine, atquè subiecta materia humanis scientijs pręstantioram probauimus, finis etiam palmam procul dubio hanc illis pręripere ostendemus, illinc enim vitę laboriosę mors nobis succedit, hinc autem honestissimam, vitam vtilissimus subsequitur exitus, illę ad terrenam, & caducam famam conferre videntur, hęc verò immortalitate nos donat, & Iouis instar Aquilę geminis alis Ganymedem, hoc est animum humanum in Dei conuiuium sublimem infert, eumque ex mortaliũ rerum admiratore, & obseruatore, diuinarum etiam contemplatorem, & possessorem iucundissima facit Metamorphosi. Hęc igitur altissima scientia (Viri pręstantissimi) de cœlo dimissa, & ex æterni patris capite prognata tanquàm pręclarissima cęterarum

scien-

ſcientiarum Regina habenda eſt, atque veneranda, cui pulcherrimo veſtitu, & ſplendidiſsimo ornatu in regali ſolio ſedenti, preſto ſunt omnes ingenuę artes, omnesque ſcientię, ipſi ut Ancillulæ obſequentes, quippe quæ veritatis inuentrix, & Dei unius, ac trini ſola fidiſsima indagatrix, humanę medetur ęgritudini, animum format, vitam inſtituit, Deumque nutu certiſsimo nobis oſtendit: Hęc inquàm cœleſtis doctrina eſt memoria ſempiterna digniſsima, ſine qua fugit pudor, honeſtas, & Religio, fugit prudentia, & iuſtitia, fugit fortitudo, & temperantia, fugit fides, ſpes, & charitas. Hęc denique diuina ſapientia adeò digna eſt, adeò excellens, adeoque pręclara, vt egregias illius laudes nullus unquàm non dicam uerbis enarrare, ſed nec etiam mente comprehendere poſsit, Cuius conditor Deus eſt, cuius materia Deus eſt, cuius finis Deus eſt. Quis enim tanta eloqoentia floreat, cuius ſanè tanta ingenij pręſtantia, cuius tàm admirabilis dicendi facultas, aut demum grauitas ſit, qui pelagus hoc ingreſſus exitum omnino non deſperat? Salue ò cœleſtis perfectiſsimaq; doctrina, ſalue ò celeberrima ſcientia, ſalue ò altiſsima ſapientia quę ex ore altiſsimi prodijſti, quę nos ad immortalitatem perducis, quę nos adiungis Angelis, & unum facis cum ipſo Deo. Hęc igitur cœleſtis, ac diuinę ſapientię eſt commendatio, hęc gloria, hęc maieſtas quòd & originis antiquitate, & effectus excellentia, & finis nobilitate cęteras omnes ſcientias longè ſuperat, & excellit. Quæ cum à ſacris Theologis in duas ſecetur partes, in poſitiuam ſcilicet & ſcholaſticam, hanc Reuerendiſsimo Iacobo Tauanthio Florentino, uiro eruditiſsimo, & admodum Reuerendo Lelio Mediceo Placentino, Inquiſitori uigilantiſsimo doctiſsimè, & ſubtiliſsimè explicandam relinquentes, illam cuius interpretatio, noſtra peculiaris profeſsio eſſe debet, & illi quoque finitimam Metaphyſicam ſcientiam pro Reuerendiſsimo Ioanne Baptiſta Librantio, qui ob eximię ſuæ uirtutis merita ad Generalatus faſtigium in Republica Seruitana conſcendit, in cuius diſertiſsimi uiri pręclaram ſedem me ſubrogatum ingreſſum eſſe, & maximè lætor, & ſummoperè glorior, Ex Sereniſsimi Ferdinandi Imperio, hoc primum anno ſingulis ſtatutis diebus, interpetrabimur. Agite itaque ornatiſsimi iuue-

nes

nes, ad nos enim præcipuè mea spectat, mea conuertitur oratio, atque & in utramque diuinam sapientiam, quę in Deo, diuinarumque rerum contemplatione versatur, totis incumbite viribus; Hęc namquè omnibus disciplinis necessaria, cum philosophia, cum Medicina, cum legibus, cum omni prorsus scientia optimè coniungenda esse videtur. Hæc animæ nostri est Ambrosia, Hęc vitę nostrę dulcissimum est nectar, quo nihil dulcius amare possunt homines, nihil iucundius eligere, nihil suauius degustare, nihil denique pretiosius exoptare, Ego verò quicquid studio, & diligentia, quicquid industria & ingenij viribus efficere, in hoc, diuinam philosophiam, hoc est duodecimum librum diuinorum, scripturamque sacram, hoc est canticum canticorum Salomonis prophetæ, interpretandi munere positum, id omne omnibus discere cupientibus polliceor, atquè defero. Nihil enim mihi iucundius est, nihilque antiquius, quàm doctrinarum studiosos, & interpretationibus, & lucubrationibus tùm publicè, tùm priuatim adiuuare, qua in re si non eximiæ eruditionis, saltem meę erga vos studiosę voluntatis qualecunquè pignus deponam. Non desunt etiam vobis excellentissimi, atque in omni scientiarum genere eruditissimi doctores, qui & grauitate, & sapientia exornati, studiorum vestrorum auctores erunt, & fauctores, quorum sanè laudes egregias prudens prætereo, quòd eorum virtus illustris, claraque doctrina, nequè mea, nequè cuiusquàm prędicatione clarior fieri potest, & illustrior. Adest deinde vobis publica, ac perillustris Academia, quę veluti mater omnium benignissima, vos tanquàm alumnos suos blandiori fouet sinu, vos bonis literis instruit, vos præclaris moribus exornat, vos deniquè summis honoribus, ac priuilegijs afficit, & cohonestat. Postremò adest (Auditores ornatissimi) adest vobis sapientissimus, & clementissimus Princeps FERDINANDVS Medices, Cardinalis, & Dux magnus, qui non dicam tanta prudentia, & integritate Etrurię Regnum gubernat, atquè regit, vt ad huius Prouincię commodum dignitatemque tuendam, & amplificandam natum, vna omnes uoce vbiquè locorum prędicent, & extollant, sed singulari munificentia, ac liberalitate primarios

omnium

omnium ſcientiarum profeſſores, Sacros Theologos, maximos philoſophos, Præſtantiſsimos Medicos, & grauiſsimos Iuriſperitos, ex omni Italię parte conquiſitos, ac honeſtiſsimis ſtipendijs accitos, honorificentiſsimis decretis decorat, & exornat. Quem Deus optimus Maximus, noſtraque ſtudia benè, proſpereque nobis & vniuerſo Regno fortunet.

DIXI.

Superiorum permiſſu.

